



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Baptismo Et Confirmatione - Dvobus Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VIII. De materia Sacramenti Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53934)

sanctum, sed alios effectus, quàm Confirmatio. Vnde etiam Dominus Ioan. 10 dedit Apostolis Spiritum sanctum per insufflationem; & tamen eo tempore promisit illis Spiritum sanctum Act. 1. & dedit Act. 2. sic etiam Baptismus armat, quia dat gratiam bene operandi: sed Confirmatio addit peculiare robur ad profitendam fidem. Vnde dicitur Apostolis iam baptizatis Lucae ult. *Sedere in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* DENIQUE Baptismus perficit in suo genere, quia facit verè, & integrè iustos, & Dei filios; & tamen Confirmatio adhuc perficit in alio genere: quomodo infans perfectus homo est, quoad essentiam, & tamen non est perfectus, quoad molem. Itaque iidem Patres, qui magnificè loquuntur de Baptismo, magnificè etiam loquuntur de Confirmatione, vt et locis citatis patet.

Quod autem Kemnitius obiicit de coniunctione vnctionis cum Baptismo, ostendit eius imperitiam. Nam solebant veteres etiam Eucharistiam coniungere cum Baptismo, siue adultos, siue infantes baptizarent, & tamen nemo negat Sacramenta esse distincta, Baptismum, & Eucharistiam. Hoc tempore cum baptizantur adulti, eodem die datur Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, vt veteres faciebant: sed cum baptizantur infantes, differuntur alia duo Sacramenta, donec ad vltimam rationis peruenerint, qui ea percepturi sunt; quia non sunt ea Sacramenta infantibus necessaria, & maiori cum fructu, & reuerentia percipiuntur ab adultis. Neque in hoc à nobis Lutherani dissentiunt.

CAPVT OCTAVVM.

De materia Sacramenti Confirmationis.

SEQVITVR ALTERA quæstio de materia huius Sacramenti, de qua, etsi quædam iam dicta sunt in superioribus quæstione, tamè accuratius res explicanda est. Igitur materiam huius Sacramenti remoram Catholici cõmuni consensu esse docent, oleum balsamo admixtum, atq; ab Episcopo consecratum; materiam verò proximam, quæ propriè est altera pars Sacramenti, vnctionem ex prædicto oleo in fronte adhibitam ad formam, seu figuram crucis. Hæretici hoc totum non modò reiciunt, sed etiam rident,

dent, vt ex locis quæstione superiori indicatis intelligi potest; vbi pinguedinem per contumeliam vocant, & Kemnitius pagin 314. non putat impium, qui calceos in itinere torrefactos Chrysmate isto inungat: & reipsa in Gallia Calvinistæ dicuntur ocreas suas Chrysmate inunxisse. Vt autem commodius hæc veritas probari possit, statuam sequentes propositiones.

PRIMA propositio: *Chrysmata, siue vntio, materia est Sacramenti Confirmationis.* Hæc certissima est Catholicis, ex Concilio Florentino in Instructione Armenorum, & Concilio Tridentino, sess. 7. can. 2. de Confirmatione. Probat **PRIMO** ex duobus locis Scripturæ, vbi vel expressè sit mentio huius vntionis, vel certè ad eam alludatur. **PRIORE** est, 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos Deus, & vnxit nos, & signauit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hunc locum exponunt de Sacramento Confirmationis, Ambrosius libro de iis, qui initiantur mysteriis, capite 7. & Anselmus, ac Theodoretus in comment. & verba ipsa satis apertè hoc significant. Nam in primis verbum (*Confirmat*) proprium est huius Sacramenti in quo robur datur. Deinde (*Vnxit nos*) vel refertur ad ipsam vntionem externam, vel si referatur ad internam, fit allusio ad extenam; idè enim interna illa illustratio, & operatio Spiritus sancti dicitur vntio quia per vntionem externam, dari & significari solet. Illud autem (*Signauit nos*) referri potest tū ad internam ob signationem per characterem, tum ad externum signaculum crucis, quod in hoc Sacramento in fronte imprimitur. Denique illud (*Dedit pignus Spiritus in cordibus*) apertissimè designat effectum principale huius Sacramenti, qui est donum charitatis. **POSTERIOR** locus est 2. Ioan. 2. *Et vos vntionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, &c.* Hunc locum de hoc Sacramento exponit Cyrillus catecheli 3. mystag. & Augustinus tract. 3. in epist. Ioan. vbi dicit, esse quoddam Sacramentum vntionis, cuius tantum virtus inuisibilis sit.

SECUNDO probatur, & quidem efficacius ex communi consensu Pontificum, Conciliorum, & Patrum Græcorum, ac Latinorum, quos supra citauimus. Tamen enim Scripturæ testimonia primum locum habent, quando perspicua sunt: tamen cum ea non sunt ita manifesta, plus momenti habet Ecclesiæ auctoritas, quam ipsa Scriptura apertissimè commendat.

SECUNDA propositio: *Materia Confirmationis non est oleum simplex, sed oleum mixtum balsamo.* Probatur PRIMO ex traditione maiorum. Nam in primis DIONYSIVS Areopagita, etiamsi non nominat balsamum, tamen apertè describit ab effectu, seu proprietate: siquidem in Eccles. hierat. cap. 4. part. 3. dicit, *Chrisma componi ex variis rebus, & odoriferum esse: Discimus, inquit, unguenti compositionem esse collectione suauiter spirantium materiaru.* SECUNDO CLEMENS li. 7. constit. Apostol. cap. 44. in benedictione Chrismatismentionem facit fragrantie odoris. TERTIO FABIANVS Papa, & Martyr in epist. 2. ad Orientales apertè dicit, *Chrisma ipsum instituisse, vt Chrisma conficeretur ex oleo admixto balsamo.* QUARTO CYPRIANVS, vel quicumque est auctor, in serm. de vnctione Chrismatism: *Hodie, inquit, in Ecclesia sacerdotum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum sacerdotals, & regie glorie exprimit unitatem.* QUINTO GREGORIUS Turonicus lib. de gloria Martyrum, cap. 40. enarrans ingens miraculum, quod exstat etiam apud Prudentium in lib. contra Iudæos, pro eo, quod Prudentius dixerat: *Lotus, & vnctus* (sic enim requirebat ratio carminis) ille ait: *Baptismo lotus, & balsamo vnctus.* Vbi videmus, Gregorio interprete, tempore Prudentij in Chrismate fuisse balsamum: immò etiam diu ante Prudentij tempora. Is enim narrat historiam, quæ tempore Ethnici Imperatoris acciderat; qui cum victimarum intestina inspiceret, & inde per artes dæmonum responsa quæreret, nihil efficere potuit; quod dæmones timuerint præsentiam adolescentis, qui cum Imperatore aderat, qui & Baptismo lotus, & Chrismate in fronte delibutus fuerat. SEXTO GREGORIUS Papa, vt supra citauimus, in l. cap. Cant. disertis verbis asserit, *Chrisma ex oleo, & balsamo confici: neque aliquid noui instituit, sed solùm refert, quod in vsu Ecclesie erat.* SEPTIMO Concilium II. Bracarense, can. 4. celebratum paulò post Gregorij mortem, expressè etiam meminit balsami, vt etiam Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & omnes Scholastici ac recentiores auctores.

Ceteri Patres veteres, etiamsi non expressè balsamum nominent, tamè satis apertè idem significare videntur, cum non oleum, sed Chrisma appellant vnctionem, quæ datur in Sacramento.

eramento Confirmationis: nam ex Ecclesiæ vsu Chrisma non significat simplex oleum, sed vnguentum confectum ex pluribus rebus. Id patet ex Innocentio III. cap. Pastoralis, extra de Sacramentis non iterandis; vbi referens quendam in Sacramento Confirmationis per errorem vinctum simplici oleo benedicto, non autem vnguento ex oleo & balsamo, vt est consuetudo; scribit eum vinctum fuisse simplici oleo benedicto, non Chrismate: vbi distinguit Chrisma ab oleo propter alterius liquoris admistionem. Sic etiam Concilium II. Carthaginense, can. 3. & Concilium III. Carthaginense, can. 36. dicunt, non licere presbytero Chrisma conficere. Quid autem est Chrisma conficere, nisi ex pluribus liquoribus vnum vnguentum facere?

SECUNDO accedit figura Testamenti veteris. Nam vnguentum, quod Deus iussit fieri Exodi 30. quo vngeretur tabernaculum, & sacerdotes; figura erat Chriſmatis, quo vngitur Ecclesia, quæ est verum Dei tabernaculum, vt docent Cyprianus sermone de vntione Chriſmatis, & Petrus Damianus serm. 1. de dedicatione. Illud autem erat ex oleo oliuarū cum admistione odoriferorū succorum, quorum vnum erat $\omega\psi\zeta$ quod stacten, & etiam balsamum fuisse dicitur.

DENIQUE accedit etiam congruentia, quam dum ridiculam videri vult Kemnitius, ipse se ridiculum probat. Ratio Theologorū, & ipsius etiam S. Thomæ, 3. part. quæst. 72. art. 2. est, quia debet materia Sacramenti significare effectum Sacramenti. Porro effectus huius Sacramenti præcipuus est confirmatio in fide, quæ duo requirit; puritatem, & feruorem fidei in corde, & constantem confessionem in ore: primū aperitissimè significatur oleo, quod liquor purissimus, & subtilis, lucidus, & calidus est: secundum non minus aptè significatur balsamo, quod bonum odorem effundit ad alios.

Præterea huius Sacramenti effectus significati sunt in illis igneis linguis, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes. Et si enim Apostoli sine Sacramento confirmati sint illo die ab ipso Deo immediatè; tamen non sine visibili symbolo effectum invisibilem significante. Illis ergo duobus symbolis, igni & linguis, seu potius vni ex duabus partibus constanti, id est, linguis igneis respondent optimè in Sacramento nostro oleum, & balsamum, seu Chrisma ex oleo, balsamoque confectum.

Hanc rationem his verbis Kemnitiuſ irridet pag. 286. *Arri-
ge aures, optime lector, magnum enim, & inſigne audies acu-
men. Et infra: Miraberis ſcio, ubi audieris; Igni in Pentecoſte
reſponder in Pontificia Confirmatione oleū. Quæ ratione? quia
oleum nutrit ignem. Sed idem facit etiam baculus quercineus
fumo bene induratus. Speciei linguarum reſpondet baſſamum
quia eſt odoriferum. Sed quid lingue cōmune eſt cum odori-
bus? num lingua odoramur? Hæc ille.*

At non mirum ſi abſurdus homo abſurdè intellexit, quæ
benè à doctis viris dicta, & ſcripta ſunt. Non enim dicimus o-
leum reſpondere igni quia nutrit ignem, ſed quia ſicut in Scri-
pturis per ignem ſignificatur ſapientia, & charitas, & ipſe Spi-
ritus ſanctus illuſtrans, & calefaciens corda ut ignis illuſtrat, &
accendit corpora: ita etiam in Scripturis oleum, ſiue unctio ſi-
gnificat eandem charitatem, & ſapientiam, & ipſum Spiritum
ſanctum. Nam oleum res facit lucidas, & perſpicuas, & ſimul
fouet, emollit, penetrat, &c. Itaq; de igne legimus Luc. 12. *Ignis
veni mittere in terrā, & Hebr. 12. Deus noſter ignis conſumens
eſt. & ſimiliter de unctioe legimus Act. 10. Unxit eum Spi-
ritu ſancto, & virtute. & 1. Ioan. 2. Unctio docebit vos de omni-
bus.* Non inueniet autē Kemnitiuſ, ubi in Scripturis Spiritus
ſanctus baculo quercineo comparetur. Quod attinet ad lin-
guas & baſſamum, in eo poſita eſt ſimilitudo, quod ſicut per
linguā communicatur vox, & eo modo foras prodit confeſſio
fidei: ita per baſſamum communicatur odor, & eodem modo
ſignificatur exterior proteſtatio veræ fidei. Sed de nugis Kem-
nitiſ ſatis.

3. TERTIA propoſitio: *Chriſma quod eſt materia Sacramenti
Confirmationis, prius conſecratum ac benedictum eſſe debet.*
In hac etiam Catholici omnes conueniunt. Et quia Caluinus,
& Kemnitiuſ hanc benedictionē ſuperſtitioſam, & magicam
vocant, ita ut Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. 8. vocet Chriſma
conſecratum, oleum Diaboli mendacio pollutum; & Kemni-
tiuſ pagina 287. dicat appellari debere Chriſma excantatum:
probanda eſt hæc veritas testimoniis veterum, ſanctorum Pon-
tificum, Conciliorum, Patrum.

Igitur probatur PRIMO ex traditione Eccleſiaſtica ſancto-
rum Pontificum. Clemens Romanus ſatis fuſè de iſta confe-
ratione tractat, quam etiam Apoſtolis tribuit lib. 7. Apoſtol.
conſtit.

constit. cap. 42. & 44. Idem docet Fabianus Papa & Martyr, in epist. 2. supra notata, qui etiam addit singulis annis feria V. in Cœna Domini nouum Chrisma consecrandum. Damasus I. epist. 4. Innocentius I. epist. 1. c. 3. Leo I. epist. 88. Gelasius I. epist. 1. Ioannes III. in epistola vnica. Gregorius I. in c. 1. cant. & Innocentius III. c. Cùm venisset. extra de sacra vnctione, disertis verbis docet, Chrisma esse consecrandū, idq; à solo Episcopo.

SECUNDO probatur ex Conciliis Concilium Nicænum can. 69. secundum Arabicum codicem in Latinum nuper conuersum expressè meminit triplicis consecrationis, quæ etiam nunc in Ecclesia viget, id est, olei Catechumenorum, olei infirmorum, & Chriftatis. Concilium Laodicenum can. 48. sacratissimum Chrisma vocat, quo nomine non illud appellaret nisi consecratum esset. Concilium Romanum sub Syluestro can. 5. prohibet presbyteris, ne Chrisma faciant, quia nimirum id ad manus Episcopi pertinet. Porro Chrisma facere non est solum miscere oleum cum balsamo, sed etiam simul consecrare: nam alioqui etiam pharmacopolæ Chrisma facere possent. Idem paulò post prohibuerunt Concilia Carthaginensia II. can. 7. & III. can. 36. Concil. IV. Carthaginense can. 36. iubet Parochis, vt omni anno ante Pascha petant Chrisma ab Episcopo proprio, idq; non per clericos iuniores, sed per seiplos aut per illum, qui sacratio præst. Vbi videmus in hoc Concilio, quod apud omnes est maximæ auctoritatis, idem haberi de Chriftate singulis annis renouando, quod habetur in epistola Fabiani, quam nonnulli apocrypham esse volunt. Videmus præterea quantam reuerentiam huic sancto oleo Concilium detulerit, cùm prohibuerit deferri à clericis iunioribus sed expressè præceperit, vt ipse, qui præst parœciæ, aut certè qui præst sacrario, illud accipiat ab Episcopo. Idem habet Concilium Vasense can. 3. vbi etiam dicit, non decere, vt summa infimis cõmittantur, & idèd nõ debere Chrisma deferre clericum vllum, nisi vt minimum sit Subdiaconus. Conciliū Toleranum I. can. 20. iterum declarat soli Episcopo licere Chrisma consecrare, & ab eo petendum singulis annis paulò ante Pascha. Concilium II. Hispalense can. 7. I. Bracarense can. 37. Concilium S. Bonifacij Martyris, quod exstat in vita ipsius, & Wormaciense Concilium can. 2. & 8. ac denique Florentinū in instruct. Armenorum idem habent.

NOTANDVM autem est, hæc Consilia non solum antiquissima esse, præter Florentinum, sed in diuersissimis prouincijs, celebrata. Nicænum, & Laodicenum in Græcia, Romanum, & Florentinum in Italia, Carthaginensia in Africa, Tolentanum, & Hispalense in Hispania, Bracarense in Lusitania, Vassense in Gallia, Concilium S. Bonifacij, & Wormatiense in Germania. Ex quo intelligi potest omnino, totam veterem Ecclesiam concutere hereticos huius temporis, qui Chrismatis consecrationem vt rem magicam execrantur.

TERCIO probatur ex Patribus. DIONYSIVS Areopag. toto 4. cap. hierarch. Eccles. de ista consecratione agit, quam etiam ab Apostolis sedidicisse affirmat. THEORHILVS Antiochenus Episcopus ab Apostolo Petro VI. in li. I. ad Autolycum qui habetur in V. tomo bibliothecæ sanctorum Patrum) vocat S. Chrismadiuinum oleum, vbi etiam dicit Christianos ab hac vnctione denominari. Quod est NOTANDVM contra Kemnitium, qui pag. 305. arguit Cyrillum mendacij contra verbum Dei, quod dixerit non esse dignos nomine Christiani, qui non sunt vncti Chrismate: *Cum tamen constet, inquit Kemnitius, nomen Christianum ortum esse Antiochia, teste Luca Auctor. 16.* Quasi verò non potuerit Antiochiæ primum hoc nomen imponi, & tamè à Chrismate deriuari. Certè melius nouerat res Antiochenas Theophilus Antiochenus, & proximus Apostolicis temporibus, quam Kemnitius Germanus, & qui paulò antè viuere cœpit.

TERTVLLIANVS lib. de Baptismate: *Exinde, inquit, egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione.* CYPRIANVS lib. 1. epist. 12. *Oleum, inquit, in altari sanctificatur; sanctificare autem olei creaturâ non potuit, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Vnde nec vnctio spiritualis apud hereticos esse potest, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.* Auctor serm. de vnctione Chrismatis, apud eundem Cyprianum: *Hodie (id est, feria V. in cœna Domini) unguentum ad sanctificationem paratur.* BASILIUS lib. de Spiritu sancto, cap. 27. *Benedicimus, inquit, aquam Baptismati, & oleum vnctionis.* CYRILLVS catechesi 3. mystag. *Sanctum unguentum non amplius est unguentum nudum, posteaquâ consecratum est, sed Christi Chrisma.* OPTATVS lib. 2. *Vt omnia, inquit, sacrosancta Episcopi vestri violarent,*
Euchd.

*Eucharistiam iusserunt canibus infundi; & ampullā Chris-
mati per fenestram, ut eam frangerent, proiecerunt* At cer-
tè nec sacrosanctum Chrisma vocaretur, nec cum Eucharistia
conferri posset, nisi consecratum. *AVGVSTINVS* lib. 5. de Bap-
tismo, cap. 19. & 20. tractans argumentū Cypriani, quo ille pro-
bare volebat, hæreticos nō habere vera Sacramenta, quia non
possunt consecrare oleum, quo inunguntur baptizati, ut acci-
pant Spiritum sanctum: non ait (quod certè dicere debuit se-
cundum Calvinum & Kemnitium) non esse opus oleum con-
secrare, immò superstitionem, & incantationem esse olei con-
secrationem; sed respondet, posse hæreticos oleum consecra-
re, quia nimirum potestas consecrandi non est in illis ab hære-
si sed ab ordinatione, quam veram, & sanctam susceperunt Et
probat à simili: nam si possunt sacerdotes homicidæ, & adul-
teri in Ecclesia, etiam Cypriano consentiente, oleū conse-
crare; cur non hæretici, modò sint verè ordinati? *Cur,* inquit
ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit Deus oleum
sanctificare, & in altari quod hæretici posuerunt, non possit,
nescio. Vide etiam tract. 118. in Ioan. prope finem.

His accedant Beda in c. 8. Act. Rupertus li. 5. de diuinis offi-
ciis, c. 17. & 18. Isidorus li. 1. de diuinis officiis, c. 28. Rabanus li. 2.
de Instit. cler. c. 26. Alcuinus lib. de diuinis officiis, c. de feria V.
in cœna Domini, & Amalarius lib. 1. de officiis Eccles. c. de ea-
dem feria V. & Petrus Damiani serm. 1. de dedicatione templi.

QUARTA propositio: *Vnctio Chrysmati ad crucem figurā in
fronte hominū baptizati fieri debet. ut sit vera, et proxima*
Sacramenti huius materia Hęc satis patet ex locis suprā citatis
Expressè enim nominant signaculū in fronte ex Pontificibus
Damasus, Innocentius, Leo, Ioannes III, & Gregorius I. ex Cō-
ciliis II. Hispalense, & Florentinū, ex Patribus TERTVLLIANVS
lib. de præscr. *Signat,* inquit, *in fronte milites suos;* Cyrillus,
c. tech. 3. mysta. Prudentius in $\psi\upsilon\chi\omicron\mu\alpha\chi\iota\alpha$, Augustinus in
Psal. 141. in illa verba: *In via hac, qua ambulabam absconde-
runt laqueum mihi;* vbi dicit, Sacramenta varia, in variis par-
tibus accipi, quædam toto corpore, ut Baptismum, quædam in
ore, ut Eucharistiam, quædam in fronte, ut signaculū crucis in
Confirmatione. Et causam reddit, quia frons est locus pudor-
is: datur autem hoc signaculū, ut non erubescamus Dominū
confiteri, etiam coram persecutoribus. Idē habent Rabanus,
Petrus Damiani, & alij omnes.